



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

clix [i.e. iv]. Est accident modale rebus ubicatis superadditum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

acquisitam mutatione corruptiva aut magis perfectiva, cum ubicationes sint in perfectione sibi similes. Neque dicas primò: entitas Petri est in loco, ergo per illam formaliter Petrus est in loco: nam entitas Petri est illud, quòd *ut quod* est in loco, non tamen est illud, per quod *ut quo* Petrus est in loco. Neque secundò: eò ipso, quòd intelligatur motus Petri ad spatium A, & negatio ulterioris motus, nequit non intelligi, esse in loco A, ergo per ea est in loco: nam per ea est causaliter, non formaliter in loco; mala autem est argumentatio: causâ actu causante necessario habetur effectus, ergo hic nihil est distinctum à causa. Neque tertio: Petrus per suam entitatem coëxistentem huic aëri, secluso quocunquè alio sufficienter intelligitur esse hic: nam negatur suppositum; nempe quòd Petrus per solam suam entitatem huic aëri possit coëxistere. Quibus non obstat, quòd sine superaddito coëxistat suæ ubicationi, cum hæc sit ipsa actualis ejus determinatio ad esse hic.

IV. Independens quidem est ubicatio ab omni loco reali, cum mutato, imò annihilato omni loco reali, possit remanere eadem

nume-

numero, explicari nihilominus debet ad certas spatii imaginarii partes. Similiter non est relatio distantiae vel indistantiae, cum maneat invariata ubicatio, dum Petrus mihi manenti immoto appropinquat; nihilominus hanc fundat relationem, quae est plurium ubicationum similium vel dissimilium co-existentia.

V. Emanatur ubicatio à re, dum hæc primò producitur (ut autem hæc potius, quàm alia, in hoc potius, quàm alio spatio emanatur, determinat Deus, vel subjectum, è quo forma educitur, in hoc spatio ubicatum) de cætero producitur per motum localem, vel à potentia loco motiva, vel ab impetu, vel à naturali gravitate vel levitate. Estq; res hïc V. G. in spatio A pro eodem instante, quo producit suum ubi hïc, sed per idem ubi, quod producit hïc; opus enim non est, ut antequàm intelligatur producere suum ubi hïc, intelligatur esse hïc, sicut opus est, ut prius intelligatur res ubicata hïc, quàm intelligatur producere alium effectum ab ubi suo distinctum hïc; pro isto enim priori, quo mobile est prius naturâ sua ubicatione, nec intelligitur esse hïc, nec alibi, sed tantum

k 7

existens